

SCRIPTA

Numéro Scripta : 9494

Auteur(s) : Richard d'Île [particulier]

Auteur(s) : Adeline, mère de Richard d'Île [particulier]

Bénéficiaire(s) : Beaubec-la-Rosière, Notre-Dame et Saint-Laurent de Beaubec (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [...1154-1204...]

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Richard d'Île et sa mère Adeline notifient la donation d'une vigne sise à La Roque faite par leur homme Droard de La Roque aux moines de Beaubec.

Tableau de la tradition

Original

A. Évreux, Arch. dép. Eure, H 1.

Dissertation critique

Transcription : Tamiko Fournier-Fujimoto

L'usage de la monnaie d'Anjou a été répandu en Normandie sous les Plantagenêt.

Texte d'après A

Ego Ricardus de Insula et Adelina mater mea notum fieri volumus presentibus et futuris quod Droardus de Rocha homo noster dedit ecclesie de Belbec et monachis ibidem Deo servientibus, vineam suam de costiz de Rocha in elemosinam, libere et quiete perpetuo possidendam ab omni servitio, tallia et auxilio et omni alia re, preter .VIII. denarios Andegavensium nobis et heredibus nostris ad festum sancti Remigii annuatim reddendis. Sciendum vero est quod Rogerus nepos predicti Droardi, in predicta vinea monachis de Belbec in elemosinam data, unam virgatam jure hereditario habebat, pro qua virgata predictus Droardus Rogero nepoti suo aliam virgatam vinee justa clausum Durandi in commutatione donavit. Si vero predictus Rogerus nepos Droardi cum ad terram tenendam venerit, commutationem ei facta noluerit accipere, virgatam hereditatis sue quam monachi tenebant habeat et monachi commutationem quam Rogerus recusaverit accipiant, eo tenore scilicet quod si commutatio ista peior fuerit illa virgata quam prius possidebant, Droardus ad voluntatem monachorum super hoc congruenti sati[s]factione respondebit. Hanc vero donatione fecit Droardus concessione Martini et Bernardi filiorum suorum et Assire uxoris sue, que in predicta vinea dotem suam habebat, quam dotem in manu sacerdotis reddidit, et tactis sacrosanctis se nichil amplius in predicta vinea clamaturam juravit. Droardus autem maritus ejus ei in vinea sua justa vineam Gisleberti de Lungevilla, commutatione assignavit, si vero juramentum hoc diaboli instigatione infregerit, monachi commutatione mulieri facta accipient, et post omnis obitum ad id quod prius tenebant revertentur. Similiter et filii Droardi, Martinus et Bernardus, hanc donatione tenendam juraverunt, propter hoc autem habuit Droardus de caritate monachorum .XXI. libras Andegavensium, et ego et mater mea .XV. solidos pro concessione. Ut autem hoc donatio stabilis et firma in perpetuum permaneat, ego Ricardus filius Adeline de Lungevilla presenti scripto

sigilli mei munimine roborato confirmavi. Testibus, Rogero Inperatore, Willelmo filio suo, Juliano de Corcellis, Odone sacerdote, Willelmo Bardol, Gisleberto monacho, Roberto filio Giraume.